D. PATRIARCHÆ DOMINICO
FIDEI PROPUGNACULO
HÆRESUM PROGFIGATORI ACERRIMO,
ECCLESIÆ COLUMNÆ IMMOBILI,
SUORUM LABORUM FRUCTUS
PATRI AMANTISSIMO
UBERIOREM AUSPICATUS MESSEM
FILIUS EXHIBET OBSEQUENTISSIMUS

FR. ANTONINUS MARIA DE GREIS
IN CONVENTU S. MARCI DE FLORENTIA
SAC. THEOL. STUDENS FORMALIS.

1879

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

AD MENTEM ANGELICI PRÆCEPTORIS

DIVI THOMÆ AQUINATIS.

EX PRIMA SECUNDÆ.

DE BONITATE, ET MALITIA HUMANORUM ACTUUM.

I.

Bonitas, & malitia in actibus humanis primaria, & ſpecifica habetur ex Objecto: cum qua adunantur aliæ petitæ ex Circumſtantiis, & ex fine; imo idem numero actus poteſt eſſe ſub duplici ſpecie, vel bonitatis, vel malitiæ nunquam tamen ſimul bonus, & malus.

II.

Eſto detur actus humanus indifferens ſecundum ſuam ſpeciem nullus tamen dabilis eſt indifferens in individuo, ſed ut hìc, & nunc exercitus debet eſſe, vel bonus, vel malus.

III.

Ut voluntas ſit bona requiritur nedùm bona intentio finis, ſed etiam recta electio mediorum; undè prava electio habet vitiare bónam intentionem per ſe cum illa connexam, nec intentio boni finis excuſat malitiam pravæ electionis.

Sim-

IV.

Simplicitèr omnis voluntas diſcordans à ratione, ſivè recta, ſivè errante ſemper eſt mala, ſi verò concordet rationi erranti errore involuntario non eſt mala, secùs ſi error ſit voluntarius.

V.

Homo tenetur voluntatem ſuam conformare Divinæ in volito formali, non in materiali ipſi ignoto.

VI.

Actus exterior, qui eſt mera executio interioris non addit illi bonitatem, vel malitiam eſſentialem in ordine ad premium, vel pœnam eſſentialem.

DE VIRTUTIBUS, ET DONIS.

I.

Virtus humana eſt in genere qualitatis, & habitus operativi, non relationis: undè illius definitio ex Auguſtino: *Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo malè utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur*, affert verum illius genus, & differentiam.

II.

Appetitus ſenſitivus, ut natus obedire politicè rationi eſt ſubjectum virtutis propriè dictæ: Voluntas verò indiget virtute ad attingendum bonum ſupernaturale, & alienum naturale, qua non indiget reſpectu boni naturalis proprii ſuppoſiti.

III.

Prætèr Virtutes morales acquiſitas, quæ non ſunt nobis congenitæ, ſed per aſſuetudinem comparantur, admittendæ ſunt aliæ morales infuſæ diverſæ ſpeciei ab acquiſitis.

IV.

Virtutes morales, etiam naturales in eſſe perfecto ſunt neceſſariò connexæ inter ſe, poſſunt eſſe ſubſtantialitèr ſine Charitate, ſine qua non poſſunt infuſæ remanere, nec etiam entitativè.

In

V.

In ſtatu beatifico remanent omnes Virtutes morales, tàm acquiſitæ, quàm infuſæ, ex Theologicis ſola Charitas: Impoſſibile eſt enim Fidem, & Spem, vel aliquid ipſarum eſſe in Statu gloriæ.

VI.

Dona Spiritus Sancti ſunt habitus permanentèr ſe habentes in anima cujuslibet Juſti diſtinta realitèr à Virtutibus tàm Moralibus, quàm Theologicis; ſunt ſimplicitèr neceſſaria ad ſalutem.

DE VITIIS, ET PECCATIS.

I.

Vitium contrariatur virtuti; ſicut enim hæc conformis eſt naturæ rationali, ità illud tàm oppoſitum virtutibus acquiſitis, quàm infuſis, eſt contrà naturam.

II.

Peior eſt ſimplicitèr actus, quàm habitus vitioſus; Peccatum mortale poteſt eſſe cum virtute acquiſita, nullo modo cum infuſa, exceptis Fide, & Spe; Veniale verò nullam deſtruit virtutem.

III.

Rectè definitur Peccatum ex Divo Auguſtino: *Dictum, vel factum, vel concupitum contrà legem æternam*: ideoque eſt eſſentiale cuilibet peccato eſſe contrà legem, ſicut eſſe offenſam, ſeù injuriam Dei.

IV.

Diſtintio ſpecifica peccatorum deſumitur ex objecto, non ex præceptis: proindè diverſitas præceptorum ex parte præcipientis non diverſificat peccata, nec multiplicat malitias.

V.

Hinc habetur peccata ſpiritualia à carnalibus, in Deum ſe ipſum, & proximum eſſentialitèr diſtingui; ſecùs verò commiſſionis, & omiſſionis, & ſecundum circumſtantias, niſi adſit diverſum motivum.

Pec-

VI.

Peccatum commiſſionis conſiſtit in poſitiva tendentia ad objectum difforme regulis morum: Omiſſionis in carentia actus debiti: cum quo ſtat non poſse dari culpabilem omiſſionem in individuo abſque omni actu, qui ſit cauſa, vel occaſio ipſius: oppoſitum tamen eſt probabile.

VII.

Peccata inter ſe non ſunt connexa, nec paria: diverſa gravitas primaria attenditur ſecundùm objecta, & dignitatem Virtutum quibus opponuntur; alia autem ex circumſtantiis manentibus talibus eſt accidentalis.

VIII.

Non ſolum Voluntas, ſed etiam Intellectus, ac appetitus Senſitivus ſunt ſubjectum peccati quò ad formale: imò appetitus Senſitivus in nobis ſecluſo quocumque influxu actuali voluntatis poteſt eſſe principium, & ſubjectum culpæ venialis.

Diſputabuntur publicè in Conventu S. Marci de Florentia, objectis ſatisfaciet, qui ſupra, ſub aſſiſtentia A. R. P. Fr. Thomæ Ricordi in eodem Conventu Lectoris Secundarii.

FLORENTIÆ MDCCII.

Apud Michaelem Neſtenium. *Superiorum permiſſu.*

33 252 146